



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

70. An sit dicenda Missa Assumptionis, Natiuitatis, &c. Beatæ Virginis
extra dies dictarum Festiuitatum? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. res. 39. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Atque de SS. Euchar. Sacr. Res. LXVIII. &c. 35

diebus dicatur, v. g. Missa de B. Virgine, vel de re-
quie: hæc verba tamen intelligenda sunt citiili mo-
do, & moraliter, nam non debet prævalere voluntas
testatoris, Ecclesiæ ordini, & ritui. Et de hac re in-
struendi sunt simplices, ne scandalo afficiantur, dum
petentes Missam pro mortuis, non audiant Missam de
requie, sed de Sancto. Sed in hac quaestione ab solutè,
& sine vlla limitatione, aut scrupulo loquitur Villa-
lobos in *sum. tom. 1. tr. 8. diff. 9. n. 9.* vbi sic asserit. [E-
que est obligado à dezir vna Missa, v. g. de nœstra
Señora, y dize la del dia, cuple ballantente, como
sea sin scandalo, que el dezir esta Missa, ò
aquella, es accidental.] Idem etiam docet Ioan. de la
Cruz in *direct. conf. p. 2. de Sacrific. Missæ, q. 4. dub. 2.*
concl. 2. Vide etiam Ledesma in *sum. tom. 1. cap. 24.*
conf. 6. & Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 83. sect. 3.

2. Non desinam tamen adnotare nostrum Castal-
dum in *praxi cærem. lib. 2. sect. 6. cap. 4. n. 1.* contrariam
sententiam docere, sic enim ait: Missa votiva de quo-
libet Sancto, ac quacumque festiuitate, de qua iuxta
Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici
potest assumendo eam, quæ in die festo habetur, ac-
commodando orationem, vbi habetur *Natiuitas*, vel
Festiuitas, dicendo *commemoratio*, vel *memoria*, omit-
tendo vbi habetur *hodie*, cum præfatione propria si
eam habeat, tamen sine *Gloria & Credo*. Si celebretur
Missa votiva de Assumptione B. Virginis, vel de
S. Agatha in introitu *Gaudemus*; vbi habetur *diem
festum celebrantes*, dicitur *memoriam celebrantes*. Sic
Castald. & ante illum Alcozer in *cærem. tr. 1. gloss. 4.*

RESOL. LXVIII.

An Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa
Spiritus sancti, B. Virginis, vel cum aliqua collecta,
dicens postea Missam in illa die currentem, peccet
mortaliter? Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Res. 62.

§. 1. **S**æpius in praxi occurrere solet casus iste; &
Sed illum negatiuè respondet Petr. Navarra de
resol. lib. 2. c. 2. n. 248. vbi sic asserit. Petenti Missam
de Spiritu sancto, de Defunctis, vel de alio Sancto,
vel vt Orationem de salute, vel de B. Virgine, &c. ap-
ponat, non tenetur Sacerdos acquiescere; nisi ob
specialem illum laborem non debitum, elemosynam
augeat, quod non solum probò ex eo, quod, vt Syl-
uester in *ver. Missa, q. 8. dicto 5.* sentiunt & alij multi,
nulla Missa est defuncto, vel cuiquam alteri salubrior,
quam diei, sed etiam ex eo, quod cum taxatur Missæ
labor, non cum iis circumstantiis, sed simpliciter ta-
xatur. Vnde importunas has condiciones Sacerdos
non tenetur admittere, nisi specialiter promitteret;
tunc enim tenetur ex vi promissionis, & veracitatis
sub veniali peccato implere, sicut aliam quamuis
promissionem, quæ non implenda non damnificaret
proximum notabiliter. Licet Syluest. *ver. Missa*, pec-
catum esse mortale contendat, cum dicat infideliter
agere, & non satisfacere; quod tunc verum dumtaxat
putarem, cum ad has condiciones, vel similes elec-
mosyna notabiliter augetur. Hæc Navarra, quæ
omnia notabiliter à Confessario sunt aduertenda, &
addenda *resol. 3. 1. tr. de celebr. Missarum in 2. p.* quid-
quid in contrarium asserant Fraxinel. de *oblig. Sacerd.*
lib. 4. concl. 4. §. 4. n. 6. Rodrig. *tom. 2. c. 44. n. 9.* & alij.

RESOL. LXX.

An sit dicenda Missa Assumptionis, Natiuitatis, &c.
B. Virginis extra dictarum Festiuitatem? Ex p. 4.
tr. 4. Misc. Res. 39.

§. 1. **E**go in 3. part. tract. 6. resol. 102. docui hoc fieri
esse reprehensibile, non enim ex indiscreta
laicorum deuotione violandæ sunt Missalis rubricæ;
dixi tamen quod si Sacerdos aliquis hoc faceret sine
scandalo, aut superstitione, quod non peccaret mor-
taliter, ex his, quæ adduxi in 2. part. tr. 14. resol. 55.

2. Verùm nouissimè aduersus me acriter insurgit
P. Megalius *resol. var. tom. 2. resol. 387. num. 18.* con-
trariam sententiam tenens ex autoritate Bullæ Pij
V. posita in principio Missalis, vbi in virtute sanctæ
obedienciæ præcipit Sacerdotibus vt Missam non nisi
iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale,
quod ab ipso traditum est, dicant, aut legant, ergo, &c.

3. Sed optimè obseruat Filiucius *tom. 1. tr. 5. c. 5.*
num. 140. dictum præceptum piissimi Pontificis non
obligare cum tanto rigore ad obseruantiam singula-
rum regulatum Missalis, sed iuxta grauitatem earum;
generaliter autem obligat ad obseruandum ritum
Missalis, & non ad introducendum alium, quod ac-
cideret, vt obseruat Ioan. Præpositus in 3. p. D. Thom.
quest. 83. art. 4. dub. 3. n. 187. quando quilibet pro suo
arbitrio Sacram faceret secundum aliud Missale, sed
hoc non accidit in casu nostro, nam Sacerdos dicit
Missam positam in Missali Romano; licet affixa die
& tempore, cuius mutatio seculo scandalo, aut aliqua
superstitione non videtur transgressio ita grauis, vt
peccatum mortale possit constituere. Et ita hanc sen-
tentiam docet Tannerus *tom. 4. disp. 5. quest. 10. dub. 1.*
num. 6. vbi sic ait. Non obstat Bulla Pij V. præfixa
nouo Missali, vbi omnibus in virtute sanctæ obedienci-
æ præcipitur, vt Missam iuxta ritum illius Missalis
legant, sensus enim dumtaxat, est, vt non fiant Missæ
seu votiuæ, seu de tempore, nisi prævt in nouo Mis-
sali præscribuntur; non autem prohibetur ne vna
Missa in aliam eiusdem Missalis commutetur, vt ex
contextu patet. Ita ille. Nec aliter sentiunt Gauan-
tus, & noster doctissimus & amicissimus P. D. Anto-
nius Caraniolus, quos citat Megalius; nam ipsi asse-
runt quidem dictas Missas non esse celebrandas, quod
etiam ego asserui, & nunc assero, sed non dicunt,
quod si Sacerdos aliquis de facto illas celebret, sit de
peccato mortali damnandus, & hoc ego probabili-
ter nego, propter allatas rationes, & propter autho-
ritatem nostri P. Castaldi & Alcozer assententium ab-
solutè posse supradictas Missas celebrari, & ideo in
tali casu Sacerdotem non peccare mortaliter, sentiunt
etiam multi viri docti Societatis Iesv, & Dominica-
næ familiaræ de hac re à me consulti.

Quæ nunc
hanc sequen-
tur, & lege-
Res præteri-
tam.

Quæ hic est
intra Resol.
164. Et sup-
contento in
hoc §. Ve-
rum, & seq.
in Res. præ-
terita, & le-
ge etia do-
ctinam Res.
seq.

RESOL. LXIX.

An Sacerdos possit dicere Missam Assumptionis, Nati-
uitatis, &c. Beata Virginis, quando dicta Missa à
laico exigitur? Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Res. 101.

§. 1. **N**egatiuè respondet Gauantus, vir in his
materiis veratissimus in *comm. ad rubricas
Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 27. n. 8.* vbi sic asserit. Quid
agendum quando Missa votiva exigitur de Assum-
ptione B. Virginis, de Natiuitate eiusdem, & eiusmo-
di? dici potest de B. Virgine ex quinque votiuis pro
diuersitate temporum accommodatis, cum intentio-
ne ad honorem Assumptionis B. Virginis, &c. alias
enim dedecet, vel dicere, *Gaudemus omnes in Do-
mino, diem festum*, &c. vel immutare tunc verba, *diem
festum*, in *commemorationem*, neque laicorum causa
violandæ sunt Rubricæ. Ita ille.

RESOL.

RESOL. LXXI.

Sup. prima dicitur huius tituli cursum, & recitauer, in tom. 3. tr. 6. ex lata doctrina Ref. fol. 88. in fine, & vide etiã doctrinam Resolutionum annotationum frequentium huius Ref.

An Sacerdos possit dicere Missam aliquam de Passione, qua in Hebdomada Sancta recitatur, si illa à laicis cum elemosyna petatur? Et an verò pro Missa de Passione longa, & magna Sacerdos satisfaciat, si dicat Missam de Festo etiam semiduplici, aut infra Octauam, vel dicenda sit Missa de Passione votiuã in fine Missalis postea? Idem est dicendum de presente Missam de Spiritu sancto, de SS. Trinitate, ac Sacramento Corporis Christi, non quæ eo tempore habentur, dicenda sint, sed votiuã assignata in fine Missalis? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 102.

Sup. hoc lege doctrinã Ref. præteritæ, & Ref. & §. eius notationum.

§. 1. Hic casus his diebus in praxi accidit, & in illo magna contentio fuit inter viros doctos, ego pro affirmatiua sententia adduxi Henrici lib. 9. c. 23. n. 6. in glossa lit. M. & Fagundez de præceptis Eccl. præc. 1. lib. 3. c. 9. n. 6. vbi ex Nauarro asserunt, Sacerdotem pro Missa de Passione longa, & magna satisfaciere, si dicat Missam de Festo, etiam semiduplici, aut in fra Octauam. Ex quibus verbis apparet, dictos Authores putare dictam Missam dici posse in diebus ferialibus.

Sup. hac Missa longa de passione, ex doctrina Ref. seq. signanter §. 2. post mediũ, à ver. Vnde.

2. Sed ego apud Nauarrum hanc opinionem non legi, & tunc contrariam sententiam tenui, quia, vt optime notat Castaldus in praxi cærem. lib. 2. sect. 6. c. 4. n. 1. de tempore, & festis mobilibus, Missæ votiuæ non celebrantur, & ideo de Passione, Spiritu sancto, Sancta Trinitate, ac sacramento Corporis Christi; non quæ eo tempore habentur, sed votiuæ assignatæ in Missali Romano dici debent. Sic ille; vnde Ioan. Alcozer in cærem. tr. 1. gloss. 4. ita asserit. [Aduertate, que pidiendose alguna Missa votiuã de passion, no se hà de dezir de las de la semana santa, con la passion de alguno de los Euangelistas, sino la que entre las Missas votiuas se pone al fin del Missal.] Vide etiam Gauantum in comment. ad rub. Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 17. n. 2. vbi docet, quòd Missa festiuitatis corporis Christi non potest dici nisi in eius festo, & octaua; & extra illam dicenda est Missa votiuã de Sacramento in fine Missalis postea, cui nihil addi debet, neque sequentia inconsulta Sede Apostolica. Ita etiam Missæ illa de Passione dicuntur in Hebdomada sancta tantum, & extra illam, Missa de Passione in fine Missalis postea dicenda est. An verò secluso scandalo, & superstitione talis recitatio sit peccaminosa, ex principiis alibi à nobis positis determinandum est. Verum negare non possumus, quin saltem sit reprehensibilis: non enim ex indiscreta laicorum deuotione violanda sunt rubricæ.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 6. ex lata doctrina Ref. 88. in fine.

RESOL. LXXII.

An quis pro Missis Hebdomada Sancta possit dicere Missas votiuas? Et an pro Missa longa de Passione satis impleat Sacerdos, si celebret de Festo, etiam semiduplici, aut infra Octauam? Et an ex declaratione Congregationis Rituum prohibeatur dicere Missas votiuas in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo duplici, argumento à fortiori sumpto, nempe infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in Hebdomada maiori, in vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecostes? Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui Prophetias semper omittit, in Missis quatuor temporum, vel Sequentiam in Festis, aut pro his alias Missas dicere? Et docetur omittentes ex industria Sequentiã defunctorum in eorum Missis in die 2. Nouemb. in die obiit.

in Anniversariis, &c. peccare tantum venialiter. Et quid, si omittentur Gloria, Credo, vel tres orationes. Hanc igitur, & Communicantes, quæ in Constitutibus Paschatis, Ascensionis, Natiuitatis, &c. dici solent? Et quid dicendum est, si Sacerdos omittet scienter in Canone pauciora verba, aut preces, v. g. ab illis Nobis quoque peccatoribus, vsque ad Per Christum Dominum nostrum, vel aliquid ex duplici Memento, cum clausula ei annexa, an semper sit lethale? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Ref. 53.

§. 1. Videtur negatiuè respondendum: nam festiuitates dicte Hebdomadæ excludant non solum dies festos duplices, sed etiam duplices secundæ classis; vnde festiuitas D. Francisci de Paula, & Annuntiationis B. Virginis, si occurrat in diebus feriis, transferuntur; ergo quo pacto dici poterit, quòd sit licitum in diebus feriis dici Missa votiuã?

2. Sed hoc non obstante, nouissimè affirmatiuè sententiã adhaeret Quintanaduënas in Theol. mor. p. 1. tr. 7. singul. 40. n. 2. vbi sic ait: Quòd verò pro his Missis possit Missa votiuã priuata (non solemnis, aut conuenualis) dici, minus ambigo; cum hæc dici queat quocumque die, dum officium non sit duplex, & licet Officium Hebdomadæ Sanctæ sit maius, & duplicibus etiam festis præferendum; antequam duplex non est in eo gradu, quo Missæ proprie excludant votiuas, ita vt hæc regulariter dici nequeant. Vnde Eman. Rodrig. 10. 1. q. 43. 4. 8. ex Nauarro conf. 7. 6. n. 8. ait: Pro Missa longa de Passione satis implet Sacerdos in celebret de festo, etiam semiduplici, aut infra Octauam. Consulam tamen Sacerdotem, vt tunc non publicè, sed in priuato Oratorio celebret. Hæc Quintanaduënas.

3. Verum ego puto contra illum prolius non esse recedendum à sententia negatiua ex decreto sacre Congregationis: & ita hanc sententiã docet Gauantus in Rubricis Missalis, p. 1. tit. 4. n. 3. lit. O. vbi sic asserit. Dicendum est prohiberi Missas votiuas in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici, argumento à fortiori sumpto, nempe infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in Hebdomada maiori, in vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecostes. Et ita declarauit sacra Congregatio Rituum die 28. Augusti 1627. Hæc Gauantus vult cauere Episcopii opinionem Patris Quintanaduënas in eorum Diocesis practitari.

4. Notandum est etiam hic, quòd supra etiam obseruari, dictum Quintanaduënas loco citato §. 3. 3. quærere, an peccaret mortaliter Sacerdos, qui Prophetias semper omittit in Missis quatuor temporum, vel Sequentiam in festis, aut pro his Missis aliam diceret? Et negatiuè respondet, saltem si Missa aliam priuata, & scandalum ab sit. Et primò existimat, & statuente: Quando pars, quæ omittitur, non esset necessaria ad ordinariam Missæ integritatem, quia solent non dici, vt Symbolum, vel Gloria, vel tres Orationes, facilius posse à culpa mortali excusari eius omissionem: ergo cum Prophetiæ, vel Sequentiæ dici non soleant in ordinariis Missis, immò semel, aut iterum in totius anni decursu tantum dicantur, & sine illis integra Missa dicatur, harum omisso venialis Præteritæ culpa erit sine causa, & cū hæc nec venialis. Præteritæ priuilegio Nicolai Papæ introductæ sunt, vt refert Durand. lib. 4. de Rit. c. 22. ergo non erit lethalis eius omisso. Et in hoc casu idem Quintanaduënas asserit non esse attendendũ in omissione hac, an sit magis, vel exigua pars, seu quantitas, quæ in Missæ celebra-

ANTI
CIPRO
TOM. 1
E. II